



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.  
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate  
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In  
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

**LePrévost, Jean**

**Dvaci, 1629**

Art. I. Vtrum Confirmatio sit Sacramentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

baptismum solemniter collatum fuisse nullum de-  
fectu legitimæ materiæ vel formæ, vel quando so-  
lemnitates adhibentur ei qui putabatur baptiza-  
tus, qui postmodum cognoscitur non fuisse bapti-  
zatus, difficultas, inquam, est num solemnitates  
debent repeti, seu baptismus solemniter debeat  
conferri.

Affirmat Victoria de baptismo num. 37. Ne-  
gant alij, Viualdus de baptismo quaest. 60. quod  
est verius, quia cap. *Pastoralis*, de Sacramentis non  
iterandis, dicitur in talibus non esse aliquid iteran-  
dum, sed eantē suppleendum quod incautē fuerat  
prætermisum.

Difficultas etiam est, num sacerdos in baptismi  
administratione possit aliquas caeremonias adhi-  
bere alijs omisiss.

Resp. non posse ex intentione id facere, non  
enim potest in baptismi solemniter, ut patet ex Con-  
cil. Trident. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in ge-  
nere, ubi dicitur anathema asserenti in solemniter ba-  
ptismo ritus ab Ecclesia receptos posse sine pec-  
cato à ministris pro libito omiti. unde pro qua-  
litate caeremoniæ que omittitur, peccatum graue  
vel leue committitur. Neque potest in baptismi  
minis solemniter aliquas adhibere alijs voluntariè  
omisiss, sic enim conferretur baptizare partim so-  
lemniter, partim minus solemniter, quod non li-  
cet ministris Ecclesiæ, quibus non est liberum ali-  
quas adhibere alijs omisiss: in baptismi tamen  
priuato conuenienter adhibetur patrinus, quam-  
uis id non sit necessarium, ut docet Sanchez lib. 2.  
de matrimonio disp. 26. num. 3. & innuunt Do-  
ctores.

Dices in Rituali Romano de baptismi dicitur  
si infans vel adultus aegrotus adeo grauer laboret, ut  
periculum imminet ne pereat, antequam baptismus per-  
ficiatur, sacerdos, omisiss quæ baptismum præcedunt, cum  
baptizat & c. deinde si habeat chrysm, imat eum in ver-  
tice, dicens & c. postea det ei linteam candidum & c. de-  
inde det ei ceream candelam accensam. si supermixtu-  
m suppleantur alij ritus omisiss.

Resp. hac videri intelligi quando minister qui  
volebat solemniter baptizare, aduertit pericu-  
lum, si omnes ritus præmittantur substantiali-  
bus Sacramenti; quo casu præscribitur, ut possit  
procedere ordine recensito, nullo tamen modo  
videri intelligendum quando iam prauiso pericu-  
lo baptismus minus solemniter in domo priuata in-  
tenditur, v.g. tempore pestis.

Confir. ritus accidentales, qui pertinent ad ba-  
ptismi solemnitatem non possunt in edibus pri-  
uatis adhiberi, ut videtur colligi ex Clementina  
unica de baptismi, & eius effectus; ubi prohibetur  
baptismus conferri in ædibus priuatis extra neces-  
sitatem, quod ideo videtur constitui, quia extra  
necessitatem baptismus conferri nequit sine so-  
lemnitate: in priuatis autem ædibus solemnitates  
adhiberi non possunt, præterquam in baptismi fi-  
liorum Regum, & per consequens neque ritus ad  
baptismum solemniter pertinentes, qualis est chris-  
matis inunctio, videri potest Nauarr. cap. 22. num.  
7. qui dicit non licere baptizare cum solemnitate  
extra Ecclesiam; constat autem cum qui adhibet  
aliquas caeremonias non posse dici baptizare sine  
solemnitate.

Confir. qui præsumeret ita baptizare, cum non  
esset sacerdos vel diaconus, fieret irregularis; ergo  
conferretur solemniter baptizare.

## QUESTIO LXXII. De Sacramento Confir- mationis.



VIA iuxta antiquam Ecclesiæ consue-  
tudinem Sacramentum Confirmatio-  
nis conferri solebat immediatē post ba-  
ptismum, ut spiritualiter nati auge-  
rētur in gratia & in fide roborarentur, ideo Scho-  
lastici ordinem generationis attendentes, de eo  
post baptismum disputant, immo & Concilium  
Florent. & Trident. secundum locum ei tribuunt,  
ubi obiter

Notandum 1. non esse eam necessariam connexio-  
nem inter baptismum & Confirmationem, ut  
baptismus sine hac non posset licitè recipi, sed  
quod ad plenam perfectionem consequendam  
Confirmatio debeat baptismi coniungi; quo sen-  
su accipiendum est quod ait Melchias Papa  
epist. ad Episcopos Hispaniæ, ita coniuncta sunt  
hec duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte præuen-  
iente nullatenus possint segregari, & unum sine altero  
perfecti non possunt, quibus verbis Pontifex non  
vult baptismum non posse licitè recipi sine Con-  
firmatione, sed quod ad perfectam hominis con-  
summationem, Confirmatio debeat baptismi cō-  
iungi, & quod ita olim fieri soleret. de quo videri  
potest Dionysius Areopagita ecclesiasticæ Hie-  
rarchiæ cap. 2. parte 3. & Ambrosi lib. 3. de Sacra-  
mentis cap. 2. ubi dicitur: sequitur spirituale signaculum  
quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut per-  
fectio fiat quando ad invocationem sacerdotis (id est Episcopi)  
Spiritus S. infunditur.

Notandum 2. non esse etiam talem connexio-  
nem ut nullum Sacramentum post baptismum  
possit recipi ante Confirmationem; quia alia etiam  
licitè possunt præmitti Confirmationi, quæ tamē  
olim baptismi succedebat, si is per Episcopum con-  
ferebatur, vel facilis ad Episcopum erat accessus.  
immo hoc tempore adultos baptismum ab Episcopo  
recipientes conuenit Confirmationis Sacra-  
mento ab eo insigniri, ut patet ex Rituali Romano.

Notandum 3. hoc Sacramentum varijs nomi-  
nibus appellari. vocatur manuum impositio ab  
impositione manuum in eo Sacramento fieri soli-  
tā; vocatur sigillum, signaculum, à signo crucis;  
quod in fronte formari solet; vocatur Sacramen-  
tum chrisimatis à materiā, in quā confertur; vo-  
catur Confirmatio ab effectu eod quod baptiza-  
tum cōfigmet & corroboret.

### ARTICVLVS I.

#### Utrum Confirmatio sit Sacramentum?

AFFIRMAT. Probat autoritate Melchias, Resp. affir-  
de qua infra; & congruentiā quæ in textu vi-  
deri potest, & suprà quaest. 65. est explicata.

Responsione ad 1. docet Sacramentum Con-  
firmationis per nullum veteris legis fuisse figura-  
tum, quia est Sacramentum plenitudinis gratiæ;  
lex autem nihil adduxit ad perfectum, ut Aposto-  
lus ad Hebræos 7.

Responsione ad 3. docet Confirmationem non  
esse necessariam ad salutem obtinendam.

Respons. ad 4. docet Christum authorē Sacramen-

Ff 2

torum

Olim con-  
ferebatur  
immediatē  
post bapti-  
smum.

Florent.  
Trident.

Ad plenam  
perfectionem  
consequen-  
dam debet  
baptismo  
coniungi.  
Melchias.  
PP.

Dionys.  
Ambrosi.

Alia licitè  
possunt  
præmitti  
Confirmati-  
oni.

Variæ Co-  
firmationis  
nomina.

Hebr. 7.

torum & plenum gratia ab initio suæ conceptionis, non debuisse hoc Sacramentum recipere.

## D V B I V M I.

*Utrum Confirmatio sit verum & propriè dictum legis nouæ Sacramentum ab alijs distinctum?*

Novatiani reiecerunt hoc Sacramentum.

**N**OVATIANI hoc Sacramentum reiecerunt teste Theodoro lib. 3. hæreticarum fabularum cap. penultimo, qui ita scribit: Novatiani penitentiam à suo conventu arcent penitus, & ipsi qui ab ipsis tinguntur, sacramentum christina non præbent. quocirca qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti Patres ungi iusserunt. cuius erroris causa fuit quod cum Novatus in lecto decumbens baptizatus fuisset sine consuetis Ecclesiæ ritibus, nec postea eos adhiberi curasset, nec se confirmari, & propterea apud omnes male audiret; ut factum suum excusaret, negavit homines post baptismum inungendos christinate, ut refert Eusebius lib. 6. historia ecclesiastica cap. 35. ex epist. Cornelij Papæ.

Reijciunt & nostri temporis hæretici.

Idem etiam reiecit Wicleff, teste Waldensi tomo 2. de Sacramentis cap. 113. Reijciunt etiam nostri temporis hæretici, quod videre licet apud Bellarm. lib. de Confirmatione cap. 1. quia tamen negare non possunt antiquum esse in Ecclesiâ Confirmationis ritum, censent posse recipi pro cæremônia ab Ecclesiâ inducta, qua in re inconstanter loquuntur, si enim nullus ritus sit recipiendus qui non sit à Deo præceptus, ut sæpe alibi docent, si suis principiis conformiter velint procedere, omnino debent Confirmationem non solum ut Sacramentum reijcere, sed etiam ut cæremônia ecclesiasticam, cum iuxta illos nullum de ea extet præceptum, sed sit humana inventum. Contra hunc errorem statuitur.

Conclus. Cathol. Prob. ex Concil. Florent. Trident.

**Conclusio.** Confirmatio est verum & propriè dictum Sacramentum nouæ legis ab alijs distinctum. est de fide, traditur in Concil. Florent. decreto de Sacramentis & in Trident. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & can. 1. de Confirmatione in hæc verba: si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremôniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesin quandam, quâ adolescenti à proximo fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, anathema sit, qua definitione damnantur omnes modernorum hæreticorum errores. eandem veritatem supposuerunt varia Concilia particularia; Elibertinum can. 38. Arelatense 1. can. 8. Meldense.

Cœ. Eliber. Arelatense. Meldense. Ex Pontificib.

Urban. 1.

Euseb.

Innoc.

Eandem tradiderunt plures Pontifices: Urbanus 1. epist. decretali ait: omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum S. accipere debent, ut pleni Christiani inveniuntur. Eusebius epist. 3. ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ: manus impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus. Innocent. 1. epist. 1. ad Decentium Episcopum cap. 3. presbyteris seu extra Episcopum, seu præsentem Episcopum christinate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen in fronte ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum S. paracletum.

Melchias epist. ad Episcopos Hispaniæ interrogatus utrum esset maius Sacramentum, manus impositio Episcoporum an baptismus: Respondet 1. utrumque esse Sacramentum. 2. impositionem esse maius Sacramentum. 3. utriusque Sacramenti effectus distinguit, dicens: scitote utrumque magnum esse Sacramentum, & sicut unum à maius sit, quod à minoribus perfici non potest, ita & in maiori veneratione tenendum est. & infra: in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum vero confirmamur ad pugnam; in baptismo abluiamur, post baptismum roboramur; & quoniam transiens sufficiens regenerationis beneficia, victis tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia, quem sanctum Pontificem & martyrem collaudatum ab August. epist. 162. Calvini lib. 4. institutionum cap. 19. §. 10. impudentissimè vocat os sacrilegum, nimirum quia eius errori aduersatur & clarissimum pro veritate præbet testimonium. Fabianus epist. 2. ad Episcopos orientales docet singulis annis in die Cænæ Domini christina conficiendum, quia in illa die Dominus Iesus postquam cœnavit cum discipulis suis & lavit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt abisque reliquerunt) christina conficere docuit: ubi aperte agit de christinate, quod est materia Confirmationis.

Melchias.

Eadem est constans Patrum sententia. Dionys. de ecclesiastica hierarchia cap. 2. parte 2. baptismum indutum albâ veste ad Pontificem ducant, ille dicens ac desico profus unguento unum signat. & parte 3. perficiens illa unctio facit perfectum. Tertull. lib. de præscriptionibus cap. 4. ipsas res Sacramentorum duorum Diabolum amulati in idolorum mysterijs, ed quod & ipse baptismo quosdam tingat, & signet in frontibus milites suos, ubi Confirmationem vocat Sacramentum, in eadem significatione quâ baptismus dicitur Sacramentum. Cyprian. lib. 2. epist. 1. seu 72. ad Stephanum: tunc enim deum plene sanctificari, & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur. agit autem de baptismo & Confirmatione. Ambros. lib. 3. de Sacramentis cap. 2. sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest ut perfectio veniat, quâ ad invocationem sacerdotis (id est Episcopi) Spiritus S. infunditur. August. pluribus locis, videri potest lib. 15. de Trinitate cap. 26. plures Patres videri possunt apud Bellarm. lib. citato de Confirmatione cap. 5. & 6.

Prob. ex Patribus. Dionys. Tertull.

Cyprian.

Ambros.

August.

Hæretici 1. hæc testimonia reijciunt. Sed id insolentissimè insanix est, ut pertinaciter aliquid defendas, totam antiquitatem reijcere. certè res hæc pendens ab alterius voluntate non potest aptius probari, quam ex tot & tantorum Pontificum & Patrum consensu, testantium Christum Ecclesiæ suæ reliquisse signum aliquod visibile, per quod dignè recipientibus abundantia gratiæ conferretur.

Hæretici frustra hæc testimonia reijciunt.

Dicunt 2. ijs locis non agi de Sacramento propriè dicto. sed id falsum est, 1. plerique eodem modo loquuntur de baptismo, & Confirmatione, & utrumque vocant Sacramentum; nomen autem Sacramenti quod tribuunt baptismum, propriè sumitur: igitur nisi dicamus Patres & Pontifices valde æquivocè locutos, fatendum nomen Sacramenti attributum Confirmationi, propriè accipi. vide Melchiam. Tert. Cyprian. 2. censent Confirmationem præferendam baptismum, ut Melchias, & insinuant Urbanus & Eusebius. 3. dicunt per Confirmationem dari Spiritum S. hominem perfici, plenè sanctificari, quibus designatur

Respondet non agi de proprio Sacramento, sed redolent.

Confirmatio.

Confirmationem conferre gratiam sanctifican-  
tem, cum Spiritus S. non dicatur absolute dari,  
infirmis creatura admittatur ad diuinam ami-  
citiam & efficiatur confors diuinæ naturæ, atque  
adeo charitas diffundatur in ipsius corde per Spi-  
ritum S. qui datur ei, vt Apostolus ad Rom. 5. Sin-  
guli etiam agunt de virtute in Ecclesia perseue-  
rante; ergo volunt in Ecclesia esse signum ali-  
quod sensibile, per quod Spiritus S. baptizatis  
conferatur, & gratia sanctificans abunde con-  
cedatur; igitur agunt de Sacramento proprie  
dicto.

Confr. censent simpliciter sacerdotem non  
posse illud conferre, sed competere solis Episco-  
pis, qui per illud tradunt Spiritum S. volunt etiam  
baptizatum ad Episcopum ducendum, vt ab eo in  
fronte inungatur, quod sacerdoti non licet, vn-  
de tanta cura Patribus vt baptizatus mitteretur  
ad Episcopum vngendus, nisi ex ea persuasione,  
quod existimabant Confirmationem esse Sacra-  
mentum, & quidem excellentissimum.

Probatur eadem conclusio ex Scriptura. Act.  
8. cum autem audissent Apostoli, qui erant Hiero-  
solymitani, quod recepisset Samaria verbum Dei, mise-  
runt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum venissent,  
imposuerunt praeceptis ut acciperent Spiritum Sanctum &c.  
tunc imponebant manus super eos & accipiebant Spi-  
ritum Sanctum. vbi patet per manuum impositio-  
nem Apostolorum, collatam gratiam sanctifican-  
tem, sine qua Spiritus S. non dicitur absolute  
dari, vt ostensum est; igitur baptizati (de quibus  
intelligi praedictum testimonium patet ex praece-  
dentibus) Spiritum S. recipiebant & gratiam  
sanctificantem per aliquod sensibile signum, hoc  
autem signum perseuerat in Ecclesia, estque Con-  
firmatio, igitur per Confirmationem datur Spi-  
ritus S. atque adeo Confirmatio est Sacramen-  
tum. Minor Probatur ex Innocent. 1. epist. citata  
vbi dicit: hac autem Pontificibus solis debet vel  
conferri, vel paracletum Spiritum tradant, non so-  
lum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa  
lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum &  
Ioannem esse directos, qui iam baptizatis tradere Spi-  
ritum S. vbi Pontifex ostendit Confirmationem  
in Ecclesia posse conferri à solis Episcopis, & Spi-  
ritum S. tradi, quia Scriptura docet Apostolos  
missos, vt baptizatis darent Spiritum S. ex Hie-  
ron. dialogo aduersus Luciferianos docente ex  
hoc loco Episcopos per manuum impositionem  
baptizatis dare Spiritum S. Actorum 19. dicitur  
his auditis baptizati sunt in nomine Domini, & cum  
imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super  
eos.

Dices his locis per Spiritum S. videtur intelli-  
gi donum linguarum & prophetia, nam post verba  
citata cap. 19. dicitur: & loquebantur linguis &  
prophetauerant. & Actor. 10. dicitur: adhuc loquente  
Petro verba haec, cecidit Spiritus S. super omnes, qui  
audiebant, & obdormuerunt ex circuncisione fideles, qui  
conuerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spi-  
ritus Sancti effusa est. audiebant enim illos loquentes  
linguis & magnificantes Deum. immo cap. 8. citato  
dicitur: cum vidisset autem Simon quia per impositio-  
nem manuum Apostolorum daretur Spiritus S. obstru-  
it pecuniam dicens: date & mihi hanc potestatem, vt  
cuiusque imposuero manus, accipiat Spiritum S. igitur  
Simon debuit aliquo sensu percipere per im-  
positionem manuum dari Spiritum S. nullo autem  
modo potuit cognoscere, si per Spiritum S. non

intelligatur aliquod donum sensibile Spiritus S.  
cum gratia sanctificans non possit sentiri, & sit  
communis habentibus donum linguarum & non  
habentibus.

Resp. neg. assumptum, quamuis enim initio  
Ecclesiae conungerentur saltem communius do-  
na aliqua externa & gratia gratis data, vt bene  
ostendunt Scriptura citata, praecise tamen ratio-  
ne illorum donorum sine gratia sanctificante,  
non potest absolute dici dari vel accipi Spiritus  
Sanctus, vel quod aliquis repleatur Spiritu San-  
cto.

Confr. quia Innoc. 1. supra ex Actis colligit  
Episcopos per manuum impositionem tradere  
Spiritum S. idque passim baptizatis, cum tamen  
dici nequeat Innocentium velle, vt cuiusque  
imponuntur manus ab Episcopo, eidem gratia  
gratis data concedatur.

Contra: in baptismo confertur gratia sanctifi-  
cans, & tamen non dicitur dari Spiritus S. vt pa-  
tet Act. 8. igitur Spiritus S. qui dicebatur dari  
per impositionem manuum aliud designat, quam  
gratiam.

Resp. designare abundantiam gratiae sanctifi-  
cantis, per quam spiritualiter natus roboratur &  
augetur, quæ non recipitur praecise ratione ba-  
ptismi.

Ex quo patet impostura Hereticorum fraudu-  
lenter traducuntium Catholicos quasi suam effi-  
cacia baptismi detrahant, cum ij agnoscant cum  
Concilijs & Patribus baptismum gratiam con-  
ferre, docentes etiam per Confirmationem conce-  
di gratiam ad diuersum finem, scilicet ad liberam  
fidei professionem.

Patet etiam impositionem manuum de qua in  
Actis, non esse nudam caeremoniam vsurpari soli-  
tam ab Episcopo, quando baptizati eidem offer-  
untur iam adulti, cum huius caeremoniae, quam  
conferunt haeretici, nullum extet vestigium.

## D V B I V M II.

Vtrum hoc Sacramentum sit à Christo  
institutum?

Tres sunt hac de re sententiae.

Prima censet institutum ab Ecclesia, ita  
Alensis 4. parte quaest. 24. membro 1. qui docet  
institutum in Concil. Meldensi.

Secunda tenet institutum ab Apostolis, quam  
sententiam tacito nomine authorum refert D.  
Thom. hic ad 1.

Tertia censet institutum à Christo; ita D. Th.  
hic ad 1. & communiter Theologi.

Quæ sententia omnino est tenenda, patetque  
ex dictis quaest. 64. art. 2. dub. ibi moto. item ex  
can. 1. de Sacramentis in genere Iess. 7. Concil.  
Tident, vbi dicitur Sacramenta à Christo insti-  
tuta, quod ex scopo canonis ostendimus dub. ci-  
tato intelligendum esse immediate.

Probatur ratione D. Thomæ responsione illa  
ad 1. nulla creatura habet potestatem excellentiae,  
scilicet respectu collationis gratiae, instituere au-  
tem Sacramenta pertinet ad potestatem excel-  
lentiae, igitur nulla pura creatura Sacramenta  
instituit, & proinde nec Ecclesia, nec Apo-  
stoli.

Probatur 2. contra primam sententiam, con-  
stat ex dub. superiori Apostolos Sacramentum

Non potest  
dici dari  
Spiritus S.  
praecise ra-  
tione gra-  
tiae gratis  
daturum.

Corollarium.

6.

Tres senten-

tia.

Prima esse

institutum

ab Ecclesia.

Alens.

Secunda ab

Apostolis.

Tertia à

Christo; &amp;

est comu-

nis ac te-

nenda.

Confirmationis contulisse, & Patres antiquissimi, similiter & Pontifices, faciunt mentionem impositionis manuum tanquam ceremonie usurpari solite in Ecclesia, & quam ex facto Apostolorum deducunt, ut patet ex Innocentio 1. & Hieron. citatis; ergo nulla specie probabilitatis potest asseri Confirmationem institutam esse ab Ecclesia post tempora Apostolorum.

7.  
Probatur  
Apostolos  
non insti-  
tuisse.

Probatur etiam 3. sententia contra secundam, quod nec in Scriptura nec in traditione videatur esse ullum vestigium, quod Confirmatio fuerit ab Apostolis instituta, sed è contrario varia suadeant institutam immediatè à Christo, 1. statim post Pentecostem Apostoli varijs manus imposuerunt, dando Spiritum S. tanquam Christi Domini hac in parte ministri.

Fabian.

2. Fabianus epist. 2. ad Episcopos Orientales dicit Dominum Iesum docuisse conficere chrism, postquam cenauit; ergo materia huius Sacramenti à Christo est instituta, proinde non ab Apostolis, ergo nec Sacramentum, ad hoc enim ut aliquis censetur Sacramentum instituere, debet instituere utramque partem.

1. Cor. 4.

3. Apostolus satis indicat se non habere potestatem instituendi huiusmodi fidei mysteria, & instrumenta gratiæ, cum prioris ad Corinth. 4. dicit: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, ubi solum agnoscat potestatem ministerialem dispensandi sibi competere.*

4. Apostoli circa instrumenta gratiæ collatiua non habuerunt maiorem potestatem, quam modo sit in Ecclesia, in qua communi sensu non putatur esse potestas instituendi huiusmodi instrumenta gratiæ; quod patet à posteriori, Doctores passim existimant esse solidum argumentum: hæc vel illa ceremonia ab Ecclesia est instituta, ergo non est collatiua gratiæ sanctificantis ex opere operato; quæ persuasio non potest aliunde ortum habere, quam ex communi sensu, quo iudicatur Ecclesiam non posse constituere gratiæ instrumenta.

Obiectio  
ex D. Th.

Dices. 8. Thom. prædicta responsione ad 1. docet Christum instituisse hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioan. 16. *si non abiero, paracletus non ueniet ad uos, si autem abiero, mittam eum ad uos, quibus uerbis uidetur uelle quod Christus hoc Sacramentum non instituerit, sed solum promiserit instituendum.*

Resp.

Resp. negando D. Thom. id solum uelle, & dico per hoc uelle quod Christus Sacramentum non contulerit, sed instituerit conferendum post suam ascensionem, scilicet post aduentum Spiritus S.

Quæst.

Petes quandonam hoc Sacramentum sit institutum? Scotus dist. 7. quæst. 1. quantum potest colligi ex prima eius argumenti solutione, uidetur insinuari fuisse institutum post Christi resurrectionem, Ioannis 20. quando Dominus insufflauit & dedit discipulis Spiritum S. Sed uerius uidetur fuisse institutum ante passionem, scilicet post ultimam cenam & lotionem pedum, nam, ut ait Fabianus epist. citata, Dominus tunc chrisma conficere docuit, ergo uerisimile est tunc etiam formam instituisse, neque contrarium insinuat Ioan. 20. quia ibi non agitur de Confirmatione, sed de potestate remittendi peccata, quæ tunc data est Apostolis & completa illorum ordinatio respectu corporis mystici.

Verius uide-  
tur insti-  
tutum ante  
passionem.

Explicatur  
locus Ioan.  
20.

Dices cur Fabianus nihil de forma recenset?

Resp. quia ad eius scopum non spectabat, nam in illa epist. volebat redarguere consuetudinem quorundam Episcoporum, qui non solebant chrisma per singulos annos conficere, sed illud ad duos vel tres annos conseruabant.

Dices, minister Confirmationis non fuit in ultima cena institutus, sed solum Ioan. 20.

Resp. id non refert, quia aliud est Sacramentum quoad intrinsecam instituere, aliud constituere eiusdem ministerium.

# D V B I V M III.

Verum Sacramentum Confirmationis sit ad salutem necessarium?

9.

D V P L E X est hæc de re sententia.

Prior asserit, Dur. dist. 7. quæst. 1. art. 2. Palud. eadem dist. quæst. 4. & alij

Posterior negat, 8. Thom. hic responsione ad 3. & infra art. 8. & 4. Adrian. in 4. quæst. de Confirmatione art. 1. Victoria de Confirmatione num. 48. Sotus dist. 7. quæst. unica art. 1. ad 3. & art. 8. & passim recentiores.

Notandum Confirmationem posse concipi varijs modis ad salutem necessariam; 1. necessitate medijs seu tanquam medium sine quo salus obtineri nequeat. 2. necessitate præcepti, præceptum uero ratione cuius hoc Sacramentum potest dici necessarium, potest esse diuinum vel ecclesiasticum.

Dico 1. Sacramentum Confirmationis non est necessarium ad salutem necessitate medijs. est communis sensus Ecclesie, in qua non dubitatur de salute paruuli baptizati, qui antequam possit peccare, ex hac uita discedit.

Confir. ex Florent. decreto de purgatorio, deficiente illorum animas, qui post baptismum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, in celum mox recipi quod alijs uerbis repetit agens de effectu baptismi in decreto de Sacramentis. uideri etiam potest Trid. sess. 5. can. 5. item Melchades supra citatus; dicens: *transiuntis sufficere regenerationis beneficia &c. nam regeneratio per se saluat mox in pace saculi recipientes.* Probari etiam potest ex eo quod Confirmatio sit Sacramentum uiuorum, & proinde per se loquendo supponat uitam spirituales in recipientes; ergo non potest esse medium necessarium ad salutem obtinendam, cum uiuens uitæ spirituali nullo alio medio indigeat ad obtinendam salutem, sed sufficiat, ut uitam in eo statu finiat.

Confir. Confirmatio, ut patet ex dubio 1. est instituta tanquam perfectio quædam & complementum baptismi, sine quo complemento aliquis saluari potest.

Dico 2. neque uidetur necessarium ex diuino præcepto. Probatur, neque ex Scriptura potest colligi, neque ex traditione, neque ex sensu Ecclesie; immò Ecclesia non obscure insinuat nullum tale extare diuinum præceptum, cum nunquam illud inculceretur, quod deberet fieri, si tale ab Ecclesia agnosceretur, esset enim graue malum existere huiusmodi præceptum, & nunquam proponi fidelibus, immò Pastores & Episcopi in eo grauissimè peccarent. Confir. Ecclesia summâ diligentia curat fidelibus proponi & explicari alia diuina præcepta, v.g. confessionis, Eucharistiæ recipiendæ, immò ne homines hac in parte desint suo

Prior sententia asserit.  
Palud.  
Posterior negat & citat communiter.  
D. Thom.  
Adrian.  
Victoria.  
Sotus.

Conclusio.  
Non est necessarium necessitate medijs.

Florent.

Trid.

10.

Conclusio.  
Non est necessarium necessitate præcepti.

suo officio, præfixit tempus, ultra quod hæc Sacramenta non possint negligi, cum ergo in hoc Sacramento nihil simile faciat, non leue sumitur argumentum quod non agnoscat diuinum præceptum de Confirmatione recipiendâ.

Dices hanc necessitatem probari ex facto & cura Apostolorum; nam summa eorum diligentia Act. 8. in procuranda Confirmatione Samaritanis recenter baptizatis non videtur aliunde ortum habuisse, quam ex diuino præcepto quod agnoscebant Apostoli; ex qua etiam persuasione S. Paulus videtur manus statim imposuisse Ephesijs baptizatis.

Confir. ex Pontificibus & Patribus dub. 1. citatis & alijs, ex quibus constat baptizatos statim dari solitos ad Episcopum, ut per manus impositionem acciperent Spiritum S. quæ diligentia arguit summos Pontifices sibi persuasibile fideles obligari ad huius Sacramenti receptionem.

Resp. neg. inde sumi sufficiens argumentum diuini præcepti, nam Apostoli potuerunt summa diligentia procurare baptizatis Confirmationem; ut magis in fide roborarentur, & essent magis constantes ad fidem liberè profitemdam in persecutione, & ad mortem pro fide oppetendam, quia enim tempore Apostolorum maxima persecutio- nes solebant fidelibus imminere, iudicabant Apostoli conuenientissimum esse baptizatos contra huiusmodi insultus per Confirmationis Sacramentum munire, ad quorum exemplum idem postea in Ecclesia est factitatum, non ergo propter diuinum præceptum id factum est, sed propter rationem a nobis allatam, hinc Melchisedech supra dicit, *cultus necessaria sunt Confirmationis auxilia &c.* Confirmationis vero per se amat & instruit ad agones mundi leuans & prælia reseruans.

Ex his patet responsio ad confirmationem, quod videlicet illa diligentia non adhibetur propter diuinum præceptum, sed propter rationem allatam. Adde fortè olim in Ecclesia fuisse aliquamdiu præceptum ecclesiasticum recipiendi Confirmationem, de quo varia testimonia non incongruè possent intelligi.

Dico 3. neque iam est præceptum ecclesiasticum, quo fideles iubeantur hoc Sacramentum suscipere, patet ex modo quo se gerit Ecclesia cum fidelibus, nam Episcopi & Pastores nunquam hoc præceptum proponunt, nec vnquam vrgent fideles ad Confirmationem tanquam ex obligatione recipiendam. Dico, iam, propter id quod paulo ante notauimus.

Ex dictis deducitur per se loquendo & seposito contemptu non esse mortale etiam data oportunitate non recipere hoc Sacramentum, quia huiusmodi peccatum ex nullo capite colligi potest, ut satis patet ex dictis.

Petes an saltem sit veniale? Aliqui affirmant; quod in praxi facile potest contingere, scilicet hominem venialiter peccare, quia nullam habet rationem tantum bonum negligendi, quod tamen sine magno incommodo posset suscipere, id enim aliqualem deformitatem & prodigalitatem bonorum spiritualium videtur inuoluere. Alij negant. Henriquez lib. 3. cap. 1. num. 6. Littera P. quæ sententia per se loquendo videtur omnino verior, cum ubi nullum interuenit præceptum, nullum inueniatur peccatum.

Dices interuenire implicitum ex eo quod Sacramentum hoc ordinetur ad robur spirituale conferendum.

Resp. id non dici solidè, nam quamuis inde bene possit peti vtilitas Sacramenti, non tamen potest ostendi necessitas vel ex rei natura, vel ex diuino præcepto, ut conuisione 2. ostendimus. Adde si tale præceptum etiam implicitum extaret, illius transgressionem per se loquendo futuram mortalem, cum materia præcepti sit gravis.

Maiores est difficultas vtrum non sit mortale hoc Sacramentum non recipere, quando vrget necessitas fidem profitemdi. Affirmant aliqui quos citat Henriquez supra littera Q. & alij. Negant Adrian. supra §. sed saluo meliori iudicio; Henriquez supra, & alij, quorum sententia videtur verior, nam peccatum mortale colligeretur ex diuino præcepto, quod dici non potest, ut patet vel ex eo quod, supposita institutione Sacramenti, illud esset medium necessarium ad acquirendum robur spirituale ad superandas difficultates, quæ in eo discrimine occurrunt, quod etiam dici nequit, cum hominibus constituto in necessitate profitemdi fidem coram tyranno non desint alia media quibus constantiam à Deo possit impetrare; vel certè illud peccatum colligeretur ex eo quod esset cuiusdam præsumptionis neglecto hoc medio ordinario seu ad id instituto, putare se posse alijs medijs constantiam obtinere, verum neque inde potest aliquid concludi, quamuis enim cognoscatur conueniens medium, simul tamen cognoscitur non esse necessarium, cum alia etiam ordinaria suppetant.

Dices 1. Melchisedech supra censet victuris necessaria esse Confirmationis auxilia, hinc in præcedentibus dicit: *ita conuenientia sunt hæc duo Sacramenta* (scilicet Baptismus, & Confirmatio) *ut ab inuicem nisi morte præueniente nullatenus possint segregari, & vnum sine altero rite perfici non possit.*

Resp. priori parte non designari omnimodam necessitatem, sed eam, quam vocant ad bene esse; quia Pontifex vult docere victuro, propter persecutiones illius temporis, quo hæc scribebat, omnino conuenientia esse Confirmationis auxilia, & quodammodo necessaria ad agones sustinendos. Ad posteriorem dico Pontificem velle, spectatâ consuetudine illius temporis, baptismum non conferri conuenienter sine Confirmatione, nisi mors obstaret, pro quo

Notandum baptizatos olim solitos fuisse Confirmationem statim recipere, quæ consuetudine positâ non censetur conueniens vnum Sacramentum sine alio conferre, vel vno recepto alterum non procurare, nisi fortè mors obstaret, quam ob causam Nouatus, ut vidimus dubio 1. fuit vituperatus, quod cum in lecto baptizatus fuisset non recepta Confirmatione, illam negligeret; sed id non arguit vllam necessitatem ex diuino vel naturali præcepto ortam, neque ostendit sublata consuetudine recipiendi Confirmationem statim post baptismum esse peccatum eam non recipere.

Dices 2. Urbanus dicit: *omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum S. accipere debent, ut plenè Christiani inueniantur.*

Resp. Urbanum non velle Confirmationem esse ad salutem necessariam, sed ad hoc, ut baptizatus sit plenè seu perfectus Christianus, quia Confirmatio est perfectio baptismi, cum per baptismum spiritualiter nati, roboremur per Confirmationem. hoc sensu Cyprian. epist. 12. lib. 1. dicit: *ungi quoque necesse est cum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate id est unctione, esse vinctus Dei & habere in se Christi gratiam posset. ubi non vult sine Confirmatione nullum posse habere gratiam sanctificationem,*

12.

Difficultas.

Adrian.  
Henric.  
Nequidem  
in necessi-  
tate fidem  
profitemdi  
videtur  
mortale  
omittere.

Obiectio 1.

Resp.

Baptizati  
olim sole-  
bant statim  
Confirmati-  
onem reci-  
pere.

Obiectio 2.  
Urban.

Resp.

Confirma-  
tio est per-  
fectio bap-  
tismi.  
Cyprian.

Confirmatio dicitur necessaria, ut quis sit plenè Christianus.

Conc. Laodice.

Greg.

Obiectio 3.

Resp.

Obiectio 4.

Resp. Explicatur S. Thom.

Resp. affir.

13. Christum vñu Ecclesie sumitur pro cõposito ex oleo & balsamo. Florent. Fabian.

quod esset erroneum, sed per illam obtineri vberiorē gratiam, & hominem per illam esse vñctum. vbi

Notandum Patres qui videntur docere Confirmationem esse necessariam, non velle esse necessariam ad salutem, sed ad hoc, ut quis sit plenè Christianus, & ut dicatur vñctus Dei: alludunt enim ad nomē Christi quod significat vñctum. in quem sensum aliqui interpretantur quod habetur can. 48. Concilij Laodicēsis, vbi dicitur: oportet baptizatos post baptismum, sacratissimum chrismā percipere, & regni cœlestis participes fieri. ita ut Concilium nō velit Confirmationem esse ad salutem necessariam, sed fideles reges constitui per vñctionem chrismatis, & reddi participes regni cœlestis quoad significationem chrismatis.

Dices Gregorius 1. lib. 12. epist. 31. vult iterari Confirmationem quæ non potest probari facta, addens: ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat.

Resp. solum velle neglectum Confirmationis posse tempore persecutionis esse occasionem ruinae propter carentiam fortitudinis necessariae ad resistendum in persecutione, non quod etiam ad hoc sit omnino necessaria, sed quod sine illa aliqui sufficiens robur non acquirant, quibus proinde dubitatio posset esse ruina, seu ruinae occasio, si forte re ipsa non essent confirmati.

Dices 3. olim hæretici ad Ecclesiam redeuntē iubebantur inungi, ut patet ex Theodoro citato dub. 1. ergo signum est quod indicatum fuerit hoc Sacramentum esse necessarium.

Resp. neg. consequentiam, quia illa consuetudo referri potest ad tempus, quo Sacramentum Confirmationis solebat conferri statim post baptismum, quo tempore si Confirmatio recepta non fuerat, solebat ex consuetudine ecclesiastica primo quoque tempore adhiberi, unde hæretici, qui eam non receperant, solebat conferri, cum ad Ecclesiam redirent.

Dices 4. D. Thom. in 4. art. 6. ad 1. censet robur spirituale ad fidem publicè confitendam nulli conferri sine voto Confirmationis, quibus verbis designatur necessitas Confirmationis saltem quando instat tempus fidem confitendi.

Resp. satis patet ex hoc art. responsione ad 3. S. Thom. sentire Confirmationem non esse necessariam ad salutem. in responsione autem ad 1. citatā, ut summū intendere Confirmationem posse aliquo modo censeri necessariam, quando urget tempus fidem profitendi, quamvis nequidem tunc sit absolute necessaria.

ARTICVLVS II.

Utrum chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti?

D V P L E X est huius Sacramenti materia, remota & proxima, de hac infra dicemus, de priori præsens instituitur quæstio. cuius

Conclusio est affirmatiua, quæ patet ex pluribus Pontificibus & Patribus, qui agentes de hoc Sacramento, chrismatis mentionem faciunt, ut patet ex dictis.

Notandum verò, quod licet chrisma in genere significet vñctionem, communi tamen vñu Ecclesie & Doctorum accipitur pro composito ex oleo & balsamo, ut patet ex Concilio Florent. decreto de Sacramentis, & insinuat Fabianus Ponti-

fex epist. 2. Innoc. 3. cap. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, & apertè cap. vñco §. 1. de sacrā vñctione, item S. Greg. cap. 1. canticum ad illa verba: *omnes Engaddi*, dices ibi nasci balsamū, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona S. Spiritus exprimuntur, & indicat D. Thom. in corpore, & resp. ad 2. vbi docet materiam huius Sacramenti conuenienter esse compositam. idem tradit Scot. dist. 7. quæst. 1. vbi

Notandum 2. hoc compositum adhiberi conuenienter fini & effectui huius Sacramenti. nam, ut Florent. suprā, & Innoc. 3. de sacrā vñctione, oleum significat nitorem conscientie, per balsamum verò bona fama denotatur, quæ huic Sacramento optimè conueniunt, cum per illud comparatur puritas conscientie, quæ designatur per nitorem, & conferantur auxilia ad liberam fidei professionem, quæ bonam famam apud alios parit.

Notandum 3. oleum quod est materia huius Sacramenti necessariò debere esse oliuarum, ut S. Thom. ad 3. & communiter Doctores. nam alij liquores, qui habent olei similitudinem, non sunt verum oleum. hinc si neglecto oleo oliuarum sumatur oleum nucum, raparum &c. non conficitur Sacramentum, in quo Doctores conueniunt, ex quibus constat quod oleum oliuarum sit de essentia materie huius Sacramenti. Sed oritur

D V B I V M I.

Utrum balsamum similiter sit de essentia seu omnimoda necessitate materie Confirmationis?

D V P L E X est hac de re sententia.

Prior affirmat, indicat D. Thom. tum in corpore, tum præcipue responsione ad 2. tenet Scotus suprā, & plures antiqui. Adrian. quæst. de Confirmatione, art. 2. Suarez disp. 33. sect. 1. in propositionibus, Henriquez lib. 3. cap. 2. num. 1.

Posterior negat. Caiet. hic, Viç. de Confirmatione num. 41. Sotus dist. 7. quæst. vñca art. 2. §. intricatus autem; Nauarrus in summa cap. 22. num. 8. Valent. tomo 4. disp. 5. quæst. 1. puncto 2. §. videtur itaque mihi, & alijs quam probabilem iudicat Suarez disp. 16. sect. 2. §. dices ergo nunquam.

Notandum authores huius sententie inter se discrepare. nam aliqui insinuat mixtionem balsami esse ex Christi institutione, & tanquam partem integram ad hoc Sacramentum pertinere. Estius dist. 7. §. 8. in fine. Alij censent balsamum solum esse de necessitate præcepti, diuini quidem ut Sotus, ecclesiastici verò ut Caiet.

Resp. & dico balsamum ita requiri ad substantiam materie huius Sacramenti ut Sacramentum absque eo validè confici nequeat.

Probat 1. ex Concilio Florent. citato docente materiam Confirmationis esse chrismā ex oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsamo, qui odorem significat bonā famā, per Episcopum benedicto. ex quo licet argumentari: Concil. eodem planè modo loquitur de balsamo, atque de oleo, & insinuat ad chrismā, quod est materia Confirmationis, eodem modo requiri balsamum, quo requiritur oleum, oleum autem requiritur omnimodā necessitate materie.

Innoc. Cap. Past.

Conuenienter adhibetur chrismati.

Necessariò debet esse oliuarum.

14.

Due sententie. Prior affirmat. D. Thom. Scot. Adrian. Suarez. Henriquez. Posterior negat. Caiet. Viç. Sot. Nauarr. Valent. Doctorum in hac questione discrepat.

Conclusio Defenditur affirmatiua. Probat ex Florent.

Confir.